



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Dissertationes De Actibus Humanis**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716**

De secundæ tabulæ præcepti quarti, quinti, & sexti parvitate materiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39981**

levem, legiime sequitur juxta eundem etiam duas carnis uncias esse parvam materiam.

Citra lethale potest collatio sumi tempore prandij, & prandieri in nocte, immo caret omni culpa haec inversio ex causa, quia non est mutatio substantiae, sed modi Mendo num. 7. Hanc tamen inversionem negat posse fieri in Vigilia Natalis Domini, quia consuetudo permettit illam nocte serotinam collationem pinguiorem octo uncias, quae consuetudo cum sit introducta ob festi solennitatem, quae incipit a vesperris, non ad prandium, hujus tempore non potest illa die sumi.

Plures parvitates materiae successivè sumpæ coalescunt in unum, unde parvitas illa, qua prioribus addita conficit materiam gravem, transit in hanc, Mendo Verb. *Fejunium.* num. 9. cum alijs.

Datur etiam materiae parvitas in anticipatione prandij, circa quam apud Dian. p. 1. tract. 9. Resol. 7. Authores variant: quidam reputant pro parva materia, si unâ horâ ante meridiem prandetur: alij medium, unde hi cum Religiosi ex privilegio possint anticipare per horam, concedunt hos licite prævenire horâ cum dimidia, at probabilius alij in anticipatione prandij non agnoscent materiam gravitatem, est enim mutatio solum accidentalis, alias non potuisset toties mutari in Ecclesia tempus prandendi: & ideo ex causa aliqua anticipans nec leviter peccat, ut si sit itinerandum, aut ho-

spes dimittendus, aut a meridie

concio dicenda.

\*\*

*De secundæ tabule præcepti  
quarti, quinti, & sexti parvi-  
tate materiae.*

741. **C**onvenit inter omnes in his tribus præceptis dari parvitatem, in quibus autem actionibus ea sit reperibilis, non patitur opus praesens, ne nimium excrescat. Potissimum difficultas circa eam est in sexto præcepto de deletione venerea, in qua neganda est parvitas materiae per 719.

*De parvitate materiae septimi  
præcepti Decalogi.*

**I**ndubitate istud præceptum patitur levitatem. Controversia est non parum intricata circa quantitatem, quænam non attingit gravitatem sufficientem proferto mortali. Decidi non potest absolute, nisi prius resolvatur quæstio, utrum quantitas proferto mortali sit absoluta, proinde sufficiens ad mortale cuicunque etiam opulentissimo Principi, aut Regi Sublata, vel vero sit respectiva ad conditiones personarum, & facultatum.

Opinio prima, negat ullam posse statui regulam universalem de necessaria quantitate ad mortale, quia ex innumeris circumstantijs, ijsque variabilibus pendet gravitas, & parvitas, nam ubi est abundantia rerum, minoris emuntur, majoris vero, ubi est raritas: in pecunia est major, aut minor aestimatio, prout est ejus copia, & penuria: inde est, quod in loco pecunioso res uno floreno empta in loco, ubi est rara, quandoque comparetur paucis grossis. Plus ad mor-

Zzz 3

tale